Gratiam et pacem per Jesum Christum Dominum nostrum, ante.

Inclyte Comes Generose Domine, quia video te nondum memoriam mei deposuisse,
ingratus essem si non aliquo modo me etiam Vestri memorem ostenderem.
Cogitanti autem mihi quid potissimum ad T. Gen.tiam scriberem venit mihi in
mentem quaestio, Quo instrumento quis potissimum uti debeat, qui in negotio conscien-
tiae haeret, nec humanis consilijs se extricare potest. (Verissimum enim illud
est quod saepe usus est Philippus Melanchthon, Ecclesia non regitur huma-
nis consilijs: ita nec singula eius membra sufficiens praesidium in illis reperiunt: imo
nullum, ut fateor quod res, & in quid decerpat ex Christi gloria quod
hominum inventis tribuat.) Venit etiam in mentem eiusdem quaestionis
solutio, experientia ipsa comprobata. Nempe ex 10 Actorum capite: Historia
est de Cornelio Centurione. Eum aliquam habuisse fidem seu verae cognitionis
Dei initium effecta testantur: et tamen, licet promissionum patribus factarum
gustum haberet, has promissiones in Christo exhibitas esse ignorabat.
Instrumentis utitur ad pleniorem lucem adipiscendum & quidem a Sp. Sancto
administratis, per quam idoneis: Uno, nimirum diligenti invocatione quae ut ardentior
esset ieiunia coniungere non tedebat. Adde quod cum prima conatus
maiorem vim calefaciendi habeant, voluit etiam pauperum suspiria
& vota suis coniungi, ac una cum suis velut instructam quandam
aciem supplicem ~~vote~~ in caelum mitti: Vota illa excitavit pectore &
manu benefica ac liberali: Atque ita, ut Job loquitur, Benedictio quae
ventura erat super pauperes, in ipsum quoque redundabat. Preces, inquit
Angelus, tuae & eleemosynae tuae ascenderunt memoriae causa in conspectum
Dei: nec immerito eleemosynas precibus coniungit: Sunt enim preces reales
cum sint sacrificia Eucharistica grati odoris, quae sacrificia non
minima invocationis ac cultus pars sunt: et in ijs quibus bene fit
invocationem excitat: imo ipsa suspiria coram eleemosynam accipientium
Dei benedictionem spirant profecta ab eo Spiritu qui gemitibus in
nobis excitat inenarrabilibus, ad Rom. 8. Sit igitur hoc unum instru-
mentum, nempe Dei invocatio ex fide profecta quae per charitatem est efficax.
Nec dubito quin Cornelius parum aut etiam nihil fecerit suam
quantulamcunque beneficentiam, nec illa ullo pacto sit fisus: interim
tamen Dominus eam dignatus sua memoria, coronando nempe sua ipsius

opus in Cornelio ut recte loquitur Augustinus: coronando, inquit, eximia regi-
tione Christi ac varijs Spiritus sui donis. Alterum instrumentum seu medium
est, quo angelus non uti iubetur, ordinarium ministerium seu praedicatio Verbi
Potens esset organum ad salutem omni credenti, ad Ro. 1. Et cap. etiam illo
10 Act. Adhuc loquente Petro incidit in eos audientes Verbum Spiritus
Sanctus. Videat ipse Dominus meus, quanti a se institutum ministerium fa-
ciat Christus? Ut quamvis angelus ille de caelo missus istam, tam
ea praestantissima et mysteria salutis perquam gnara, non tamen
vult Dei filius negligi aut transiliri ordinem quem ipse inter constituit,
voluit, inquam nos transiliri, ab hominibus a se ad id vocatis ut docerent
evangelium, ad angelos quibus ordinarium docendi munus in mundo non
mandarat. Non quod non praestari posset ab angelo, sed quod sic
placet sapientiae divinae per infirmiora organa suam potentiam
exercere, ac simul etiam probare fidei nostrae obedientiam, 1 Cor. 2
et 3 cap. quae causa etiam est cur Paulus a se removeat affectatam
bene dicendi studium, ut fides Corinthiorum non in humanae sapientiae
verbis sed virtute Dei fundata esset. Secundum igitur istorum
mediorum utimur, nempe praedicatione Evangelij ex ore hominis ad id vocati.
Exercuerat quidem se antea lectione et meditatione scripturae quod ex
ipsius oratione et expectatione salvatoris apparet: Verum illis prima,
his exercitijs angelus non contemptis, ad ministerium progreditur in rarius
plenioremque Christi scholam eum ablegat ex Dei mandato. Efficit Christus
ut semper sanctiones perfectum, modo nos praescriptum impedimentum adferamus:
nec sinit redire verbum suum vacuum: quin ea benedictione coelestis dei
Deus, cuius causa agrum suum plantari et rigari ~~verbo~~ voluit.
Utamur igitur et nos cordate duobus his organis (nam in priori membro
eucharistica eleemosynarum sacrificia inclusa sunt) quotiescunque cum bono
illo Cornelio, instar terrae aridae irrigationem e caelo sitimus: quotiescunque
amplius lumen, pleniorem rectitudinem, conscientiae tranquillitatem, maiorem
alacritatem ad sequendum ducem nostrum Christum abnegans stultis
et prauis mundi hominis cupiditatibus et larvis, et id genus alia
dona desideramus et Deo desyderamus augeri [illegible] [illegible] [illegible],
dono sanciat: Utamur, inquam, et reipsa sentiemus veritatem divinam
nam

promissionum. Etsi autem in rebus omnibus molesta sit expectatio (ut verbis Polybii utar, praesertim cum de homine Christiano hic agam) tamen certitudo & magnitudo rei promissae, plenae nimirum liberationis ex hesitatione & anxietate, ac suavissimus divinae bonitatis [promissae] sensus, qualemcumque expectationis molestiam superare debet. Neque enim ad momentum oravit aut expectavit Cornelius: ideo preces & eleemosynas eius eo multitudinis [illegible] facit angelus. Insignis est hic de re locus Abacuc 2: Si differatur (promissio seu [moram faciat] seu promissa liberatio) expecta eam, veniendo veniet et non tardabit. Haec habui Generose & Inclyte Comes quae ad communem utriusque consolationem & aedificationem ad pietatis progressum scriberem, pro salute illa quam Dominus meus per D. Mescha: Löffmund consobrinum meum ~~ex~~ Trecterii dignatus est: faxit Dominus Jesus ut sicut me haec scribentem consolata sunt, ita & te legentem non minus consolentur per suum Spiritum cuius gubernationi sanctae & vivificanti te commendo & trado, amice: Conrado meo verissimo Gener: Dn. Grebus. Dat. Berleburgi 14 Junii A° 1580.

Tuae Generos.ti

Generoso Comiti Hermanno Adolpho salutem ex animo adscribo cuius Generos.ti has literas spero per vestram in Christo [firmam] coniunctionem fore communes.

addictissimus

Gasp. Olevianus

D Caspar Olevianus

Inclyto ac Generoso Dno Dno Geor-
gio à Sein / Comiti in Wiegen-
stein, Dno Homburgi & Dno meo
à primis observando.

Argentinae.

Pnt: Argentorati in ipsis
Nundinis in platea facto D
Udarici 4to: IIII Non: Julij
Ao 80 Theobaldus
Petermann nob: tradi curauit
hasce lras.

12.

Caspar Olevianus

Gratia & pax à Deo Patre per Jesũ Christũ filiũ suũ, amen. 187.

Generose Comes etsi privati nihil habebam quod ad Gen. Tuã scriberem: tamen iustus dolor quem ex Caspari Velti=sij nostri literis percepi, non sinit me prorsus silere. Scribit Casparus (cuius literas Gen: tuae mitto) ministrũ Ve=bi mihi notũ ab Hispanis captum teneri. Exiguntur daleri quingenti pro redemptione. Oblati sunt à pijs trecenti quos recusant accipere. Addit difficile fore ducentos illos qui ~~supersunt~~ desiderantur colligere. Etsi autem nihil exprimat, sed mihi cogitandũ relinquat: hoc tamen iudico eum, (ut est fidelis servus Christi & de fratrũ salute sollicitus) hoc velle, cũ maior pars redemptionis seu λύτρου iam sit parata, ut pietatem ~~Gen. tuã~~ vestram de hac necessitate submonerem, ut pro ea benedictione qua Deus vobis concessit contribuere dignemini: Vestrũ sunt tres, quos ut ~~imp~~ dñs in sacra synaxi seu Eucharistia coniunxit: ita etiã in hac causa ipsa necessitas atque ipsũ caput Christus coniungit. Scitis enim illam κοινωνίαν etiã ad vinctos usque fratres porrigi. Memores estote (inquit Paulus ad Hebr. 13. vs. 3) vinctorũ, tanquam unà cũ illis vincti &c. Jam si unà cũ illo vincti essetis, magna futura esset ad suppetias ferendũ promptitudo, magna alacritas. Huc accedit, quod hilarem datorem diligit Deus: Maxime verò illud quod ibidem instar aculei addit Apostolus, Tanquam et ipsi adhuc in corpore morantes, afflictorumque memores sitis.

quasi deceret: Vos adhuc carne circumdati estis, nec
extra telorum iactum: ergo cum vobis cordi sit Deum habere
propitium in communi periculo: agite eundem ~~animi~~
animi affectum exhibete laborantibus & afflictis fratri-
bus. Et sane expedit pietatem vestram exerceri
in his pietatis exercitijs: neque enim regnum Dei
in verbis duntaxat consistit sed in virtute: et quid aliud
sibi vult D. Petrus cum ut in fide subministremus vir-
tutem. Persuasus sum de vobis in Domino fore ut per
Dei gratiam promptitudo vestra, calamum exhortantis
neque mea antevertat. Quod cum Dei donum esse
agnoscam (non a nobis ipsis sufficientes sumus ad
cogitandum aliquid (bonum) tanquam a nobis ipsis 2 Cor. 3.)
et ei pro pietatis studio quod vobis largitus
est gratias ex animo ago, & ut in posterum
animos vestros tum in hac causa tum in alijs
ad gloriam Dei pertinentibus spiritu suo sancto accen-
dere & magis magisque inflammare velit, ut
in vobis indies glorificetur. Neque utar apud
vos excusatione: satis enim mihi hoc ex officio
incumbere: His qui divites sunt in hoc seculo,
(inquit Paulus 1 ad Timoth. 6) denuntia ne efferantur
animo, neque spem ponant in divitijs incertis, sed
in Deo vivo, qui praebet nobis omnia copiose
ad fruendum: Ut alijs benefaciant, ut divites sint

operibus bonis; faciles ad impertiendum, faciles
ad communicandum &c: Et ne cogitarent, quod rogatum
hoc sibi decederet, addit quod non quidem ex merito
sed ex gratia promittat Deus: Reponentes sibiipsis
fundamentum (eynem vorrath) bonum in posterum:
(hoc enim sibi vult Graeca vox) ut apprehendat aeternam vitam. Scripsissem diligentius
si opus fuisset apud vos &c: et saepe festinatio Domini
Wickrodij me ad festinandum compulit. Cupio autem
ex me salutari generosos Dominos qui nuper cum
T. Generositate hic fuerunt, ipsisque has literas
fere esse communes: Deus & Salvator noster
Christus qui traditus est propter peccata
nostra & resurrexit propter iustificationem nostri
servet, vos Gen: & honorandos meos Dominos
in aeternum secundum promissionem foederis gratuiti
aeterni: Et regni eius, inquit, angelus non erit
finis: Huc contendamus, huc primus gratia
qui vocavit nos vocatione sancta unitamine.

Dat. Berleb. 17 Aprilis A° 1581.

Vrae Generos:

addictissimus

Caspar Olevianus

Quod Generosi Domini volent
contribuere, poterunt domino Badio
tradere, qui facile rationem
inveniet tuto proximam ad Casparum
mittendi.

Casparus Olevianus

Dem Wolgebornen Herrn, Herrn
Georgen von Seyn Graffen
zu Witgenstein, Herrn zu
Homberg, meynem Gnädigen
Herrn.

Cöln

[illegible] speciales
Homburgensium in praedio
n[ost]ro urbano Geronico die
Mercurij vesperi 26ten
Aprilis. Ao 87

15

Gratiã & pacem per Jesu Christũ magnũ illũ Immanuelem.

In re magna à Magno illo Immanuele aeterno Deo incarnato ~~super qu~~ sapientiam, cõsiliũ & robur toto pectore vobis precor. Neq enim gutta solida sapientiae, cõsilij aut virtutis vsquam est, quae non ab ipso fluat. Quiescit enim super eũ Spiritus intelligentiae & cognitionis Dni, & Spiritus timoris Dei, vt docet Isaias XI. cap. Sed & antea cap. 9. dixerat, eũ esse Admirabilem; et ne tanquã bonũ peregrinũ intueamur, & veluti ad nos nihil pertinens, nobis donatũ esse affirmat. Cũ autem in rebus ab ipso creatis omnibus, in earũ cõservatione & gubernatione admiranda ipsius opera oculis nostris sponte sese ingerunt: Tũ in extruenda è morte, cõservanda & defendenda Ecclesia suã maximè apparet. Quod autem magis obstupendũ est, quod non tantũ singulis momentis sacratissima sua intercessione favorẽ cõciliat suis fidelibus apud Patrem, sed illud etiã potenti suo robore & praesentia Decretũ ~~illũ~~ Patris caelestis exequitur, Psal. 110 Dominare in medio hostiũ, seu, inimicorũ tuorũ. Dominare igitur, ô Immanuel, et aeternũ dominare, Vince, prosterne, dissipa quicquid tuo adversatur dominio & gloriae: Effice quod psalmo 45 petit Ecclesia sponsa tua dilecta, inquiens: Decore tuo prosperare: equitas super

Verbum aequitatis, & mansuetudinis & iustitiae: docebit te terribilia dextera tua. etc. Et paulo post: Solium tuum Deus [illegible] in seculum & usque: sceptrum rectitudinis, sceptrum regni tui. Diligis iustitiam, & odio habes impietatem: Propterea unxit te Deus deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis. Haec sunt mea cum vera ecclesia ad sponsum Christum Emanuelem nostrum vota: quae ut exaudiat toto pectore oro: tuamque Excellentiam privatim pergat benedicere. Liceat enim mihi in illius filij sinum vota effundere qui est in sinu Patris. & cum sint eadem [illegible] mea Excell. merito esse communia, liceat etiam privatim apud T. Excell: quos caelestis Pater sub eodem capite coniunxit: ad quod referuntur vota omnia. Caeterum Ad amicum illum meum scripsi sicut Excell. T.tua monuit: et quidem serio: spero Dominum daturum gratiam ut maneat, neque maerore affinatur Spiritus sanctus in multis pijs pectoribus.

Postremo splendidas illas promissiones eversionem regni certo [illegible], & [illegible] tragoedias non dubito. Vellent nunc confessionem Babel fieri ex papismo et lutheranismo, ut omnis synceritas [illegible] veritas utrorumque consensu. Perniciosa consilia, quae Dominus dissipet & confundat. quis non videat illis coalescentibus in unum, Christum excludi. Etenim [illegible] scopum esse in sanando vulnere bestiae non est quod dubitemus. Sed vivit & vincet Leo de tribu Juda: (Nam mandatum ut agnus, [illegible]

victor ut Leo ~~sic~~ sicut Spiritus S. dixerat
in testamento patriarcha Jacob Genes. 49. Hi contra
pugnabunt cum agno, & agnus vincet eos, & qui cum
eo electi & vocati & fideles, Apocal. 17:
Ubi urbs illa a septem collibus describitur
quae imperium habet in reges terrae: ne quis
in tanta descriptionis luce, de certitudine prophetiae
dubitet. Cum Satan Christum tentaret eo usque
statuit in monte excelso artificio ostensis regnis
& maximis opibus atque gloria: sibi vero mendaciter
vendicans omnium rerum proprietatem: repellit
eum Christus, Apage Satan. Scriptum est enim
Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.
Et Angeli venerunt & ministrabant ei: Sic
& nos habebimus ministros, qui a pugna
pro Christo, nos refirmant, nosque consolentur:
Per Christum enim, tanquam per scalam
Jacob ad nos quoque descendunt & ascendunt.
Haec habui quae hoc tempore cum pietate & Excell.
T. conferrem familiariterque scribere quam me decorat,
syncere tamen & benevole: oramus Patrem Domini
nostri Jesu Christi unà cum Filio suo coaeterno &
Spiritu Sancto, ut propter gloriam nominis sui sancti
Ecclesiae (quae est columna & firmamentum veritatis:
quae veritas sola et unica est ecclesiae nota)
quam redemit tanto pretio, misereatur: Vosque Spiritu
suo regat & conservet, amen. Valeat T. Excell.
& mei in precibus suis sit memor, quod nos
quoque facimus. Sault Du. Cap.

Caspar Olevianus

D. Casparj Olevianj
Consilium quo ad instantem
Electionem futurj Archiepiscopj
et Septemvirj Trevirensis.
nec non etiam huius loci
D. Joan: Badium illius [illegible]
[illegible] tolerans

13

Fr. nobis haec tunc ipsemet
tradidit die Lunae mane circi-
citer hora 8vam vigilia D. Jacobj
Apostolj 24ta Julij in nostro praetorio
urbano quum pridie vesperj
ad nostram [illegible] Berlelingen
cum nos circiter horam [illegible] vesper-
tinam appulisset Anno 1581.

Gratiam et pacem per Jesum Christum Dominum nostrum, amen.

Illustris ac Generose Comes allatæ sunt hodie literæ D. Andreæ Christiani scriptæ nomine et mandato Gen. Comitis Joannis à Nassawe: eas Gen: Dnus ad T. Exc.ll iam mittit. Etsi autem terminus brevis est: tamen quoniam Synodus aliquot diebus duratura est procul dubio, et mihi incertum quod Dns Excell. T. daturus esset in mentem quod ad petitionem Gen. Comitis Joannis [illegible] sibi indicarat, et literas missionem nolui dissuadere. Nemo reperitur fu[illegible] pessimus. Sunt præparatoria, ut ego arbitror ad maiores lapsus, nisi Dns potentem suam manum submittat: quod ut propter electos faciat, imprimisque propter nomen suum sanctum, ex animo peto. Certe cum animus in causis secundis defixus hæret, non potest non percelli metu instantium malorum: at cum ad primam causam Dei penetrans nobis fæderatam fides assurgit, ~~et palmæ instar~~ cuius proprium est in rebus confusis certa et fixa tenere vestigia, imo ex ipsis tenebris lucem elicere ~~[illegible]~~ equidem in indubia tam sapientis et potentis capitis nostri præsentia omnibus metus [illegible], tantum virtutis reperit [illegible] quæ non modo turbulentis terroribus sedandis, sed etiam ad iacturam in plandam serenitate evehendam sufficiat: idque ex coniunctione illa nobis donata cum eo qui ipsa lux est: quæ κοινωνία cum sit plena, tenebræ non erunt in nobis ullæ: ablatus mœror, abstersæ lachrymæ. Præclara est illa vox, Timorem illorum ne timetis, neque turbamini sed sanctificate Dominum Deum in cordibus vestris. Sanctificatur autem dum et mandatos vocationis labores non refugimus, et promissione ipsius nitimur, certo confisi quamque à ipso detur

Gen. 1. 2 Cor. 4.

Joh. 1.

1 Petr. 3 v. 14. et 15.

euentus (nil enim nisi ipso dante euenit:) fore nobis salutarem, idq ex sacro diuini foedere. Firma est haec anchora ingre-

Heb. 6. diens intra velum. At haec sanctificatio fluit, ex ea qua nos sanctificauit Dei filius, qui sicut factus est nobis sapientia et iustitia, ita et sanctificatio, ac tandem plena redemptio. Ego pro eis sanctifico meipsum, ait in solemni illa oratione in qua nostram omnium salutem includit ante passionem, Joh. 17: Et rursus, sanctifica eos pater in veritate tua: sermo tuus est veritas: Et ut nos velut nominatim includeret, addit, Non pro his tantum (Apostolis) oro, sed pro omnibus iis qui per sermonem eorum credituri sunt in me. Cum igitur sacrosanctae Trinitatis illustratione, fidei lumine coelitus donati simus, ne dubitemus quin et in Christi semel facta cum Intercessione sanctissima oblatione sanctificati simus, et indies sanctificemur spiritu adoptionis factum quo verissimi lata conscientia, ut ipsi in nobis agit et in hac et aeterna vita sanctificemur. Et hinc cum oramus: Sanctificetur nomen tuum, det nobis clementissimus pater ut per sanctam illam sympathiam (ut ita loquar) sui spiritus, vehementissime esuriamus et sitiamus nos ipsius sanctificationem. Quam famem et sitim, ipse tandem explebit qui et potest et indubie vult. Neque haec fames et sitis nobis sit molesta, cum beatitudinis promissionem coniunctam habeat:

Matth. 5. Luc. 6. Beati, inquit, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam saturabuntur. Qui in hanc sitim sentiunt, ubi sitiunt in aeternum nempe prae copia gratiae, etsi maiore copia, dum hic viuunt,

Joh. 4. Ps. 10. 13. 14. sitiant. Haec minime nos debent, ad progressum in sanctificatione nostra diuina, quaecunque etiam in viam obijciat motus: qui etiam fidei rogatur reddere, ut vel in firmum abeat, vel ut palaeae a vento dissipentur.

Caeterum quod novitates non mitto de quibus scribet, adeo factum, quia nil novi extat, sed ea quae nosti, nempe Angliae [illegible] matrimonium esse ratum, et praeterea fuisse tractatum qua optimatum quorundam famam provocanter nimis & licentiose tradunt, ut non mittere satius esse Gen: Dnus [illegible] coniunx arbitrata sit, in qua sententia et ego fuissem. Sed eiusdem autoris (cuius unam mihi ab Andrea [illegible] et ex literis illis cum transcripta) quid Gualtheri iudicium confutare, sed satis subtiliter, conatus est.

Partem quam T. Excell. nondum audivit, mitto. Precor Dnum Jesum Christum Regem & Sacerdotem atque caput Ecclesiae [illegible], ut ambos Generosos fratres benigne respiciat (ut scriptura loquitur) et spiritu suo potenter fulciat & gubernet. Dat. Berleburgi 25 Julij A° 1581.

Tuae Excell.ae

addictiss. in Deo

Gasp. Olevianus

Caspar Olevianus

17.

Illustri et generoso Dno Dno
Ludovico à Seyn Comiti in Wit-
genstein, Dno Homburgi & Dno
meo clementi.

Olevianus.
25 Julii 1581

Gratiam & pacem per Jesu[m] Christu[m] Dominum nostrum, amen.

Inclyte ac Generose Comes cu[m] omnino sperem literas meas postremas ex animo recte Generos. T. observantis profectas, Tuae Gen: non ingratas fuisse, hanc etiam scedam addere volui, qua Generositatem Tuam obsecro & obtestor in Domino ut mecu[m] paulisper consideret natura[m] fidei quae fuit in Patre credentium Abrahamo: de qua prolixe tractat Apostolus in epistola ad Rom. cap. 4 & ad Hebr. xi. tam quoad mandatu[m] q[uam] quoad promissionem. Mandatu[m] acceperat exeundi ex Ur Chaldeoru[m], in terram, inquit D[omi]n[u]s, quam monstrauero tibi. Agnoscit Dominum sapientem, nil mandare nisi rectu[m] & iustu[m]: obsequitur itaque extemplo, procedens ignarus futuri hospitij aut quonam esset iturus. Et sane prudentius nil potuisset facere Abraha[m]. Ita Dominus commodius ei prospexit q[uam] Abraham potuisset unq[uam] cogitare. Et hac ratione maiorem dat gloria[m] Deo, q[uam] si Dominus ei in speciem domum et possessionem certa[m] illico demonstrasset. Contentus voluntate divina in ipso mandato acquiescit, recte fidens Deu[m] honorat ei permittens eventum. Deinde ad promissionem quod attinet, huius fidei eam certa [illegible], pendet Abraha[m] quoque a Dei ore, nil sollicitus quin statim sit promissis. Ea promissio erat gemina. Una terrae promissae, altera sobolis. Secundu[m] sensum carnis o[mn]ia apparent promissioni adversa, seu co[n]traria, (cu[m] sperem inqua[m], sicut vti dixi secundu[m] sensu[m] carnis). Promissa erat possessio terrae Chanaan: peregrinatur in ea tanq[uam] aliena. Quid interim fides? intuetur ea no[n] obstare quin et promissio iusto tempore sit implenda, & quin gustu[m] aliquem

benedictionis divinae tam aut percipiat etiam in ea terra in
qua peregrinabatur, donec plene fruatur haereditate caelesti
cuius typum intelligebat esse terram Chanaan. Sic credentes
indubie promissioni de gestu gratiae divinae, expectat fide
plenam impletionem. In altera promissione de seminis
benedicto, apparent etiam multa adversaria, effoetum ipsius corpus
item uxoris: et tamen contra spem speravit, gloriam
dans deo qui potens esset servare quod promiserat. Quod
maxime clarum est in immolatione unigeniti: Sciebat benedictionem
promissam in semine Isaaci: sed occiso fere mactato
Isaaco, credebat deum et veracem et potentem vel ex
cineribus Isaaci semen promissum excitare posse:
nec unquam credidit futurum ut promissiones suas non impleat.
Quorsum haec? Dicam. Saepe in nobis experimur ea quae
promissionibus divinis videntur adversari, sentimus, peccatum,
afflictiones, mortem. Sed an haec impediunt promissam
remissionem peccatorum, promissa iustitia & vitam? Minime,
minime. Idque manifesto liquebit, si in Christum coniiciamus
oculos, caput, inquam, nostrum, in quo ut peccatum
tum & mors superata sunt, ita iustitia & vita
in lucem producta nobisque restituta sunt. At plene
non eis fruimur. Verum est, sed cum ita placeat soli
sapienti deo differre plenam harum rerum fruitionem in
alteram vitam, fides hac voluntate dei contenta, sub-
nixa robore promissionum divinarum, interim gustu earum
fruitur, donec rebus ipsis plene satietur; quod
fiet

fiet cum ad conspectum Dei huius traducti fuerimus:
in qua satietas gaudiorum. Satietas gaudiorum in conspectu
tuo, ô Domine, inquit David. Hoc habeo Generose
et Comes quod hoc tempore ad Gen. T. rescriberem
animo eius observantissimus, Dominum nostrum
Jesum Christum orans ut lumen fidei in nobis
magis magisque accendat, ut toto eius intuitu
tam in mandatis quam promissionibus ab eius
voluntate nunquam deflectamus, donec ad plenam
eorum promissorum fruitionem ipsius manu fuerimus
producti, amen: ad ea, inquam, fruenda quae
oculus non vidit, quae aures non audiunt, quae
in cor hominis non ascenderunt quae praeparavit
Dominus diligentibus se, amen. Valeat T. Generositas. Dat. Dillebergae 9. Martij, A° 1582.

T. Gen: ex animo addictissimus

Gasp. Olevianus

Caspar Olevianus

Illustri ac Generoso Comiti, Dno
Georgio à Sey[n] Comiti Wittgensteinio, Dno Homburgi & Dno meo
clementiss[imo]

D. Caspar Olevianus

Coloniae

Exhib. Coloniae p[er] [illegible] 13 Martij Ao 82

21

Gratiam et pacem per Jesum Christum Dominum nostrum amen.

Illustrissimi et Generosi Comites, Domini clementissimi. Quod si unquam tempus fuit quo armatura Verbi Dei necessaria fuit fidelibus, iam certe est. Quae res facit ut libentius et saepius vos literis meis interpellem. Et hanc Dominus mihi nunc quadriduo aliud agenti armaturam suppeditavit, qua haud scio an probatiorem legerim unquam: Ex duplici autem armamentario ea deprompta est, partim ex Divi Bernhardi, partim ex Johannis Hussi; illius Confessoris, huius etiam martyris. Scribit Bernhardus Sermone 12 super Cantica: Apostolus, inquit, Christus dilexit Ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea. Hinc rem admirandam et tamen veram colligit Bernhardus: Ecclesia (inquit) corpus Christi est, et hoc corpus multo ei est charius quam illud quod pro hoc in mortem tradidit. Vere eruditi et pastores docti. Habet enim Christus primum massam quam assumpsit, quam certe charam ei esse necesse est: utpote cum propriae divinitatis sit corpus: habet deinde et mysticum corpus, (ecclesiam nimirum) cuius causa illud in mortem tradidit: neque certe illius vitam abnegaturus, nisi huius vitam propriae vitae antetulisset. In historia Johannis Hussi citatur ex ipsius scriptis in Concilio Constantiensi his verbis: Er belert, setz es mit S. Paulo ahn der Ephes. am 5. Christus hat die Kirch geliebet und sich selbst fur sie gegeben. Und auff S. Bernhardt Serm. 12 sup. Cantica da er sagt: Der gemein ist Christus leib, und ist ihm viel lieber denn der leib den er in den todt gegeben hat. Consultus a me Bernhardus fideliter se citatum respondit. Quorsum autem haec Generosi Domini? Certe non alio quam quo initio dixi. Haec doctrina diligenter considerata incredibilem parere aedificationis fructum. Quis enim ad dilectionem Christi non obstupescat? Merito, merito Paulus in eadem epistola, optat, ut comprehendere valeatis quae sit longitudo, latitudo et profunditas et sublimitas, cognoscere, inquam, charitatem illam Christi omni cognitione superiorem, ut impleamini ad omnem usque plenitudinem illam Dei, Ei vero qui infinita in redundantia omnia potest facere supra ea quae petimus aut mente concipimus per vim illam agentem in nobis, sit gloria in Ecclesia per Christum Jesum in omnes aetates seculi seculorum, amen. Dicit apostolus. Quis unquam haec tanta

ad Ephes. 3. v. 18. 19.


1 Petr. 2. dilectione gustata, usque desertione inchoat ab eo qui semel ex spiritu
deserunt, ne nos usque deserceremur? quorsum et enim illa vox
Psal. 22 aurea per Spiritum Sanctum Christo dicta & velut dictata: Deus meus,
Deus meus ad quid dereliquisti me? Quid est triste in mundo
quod illa dilectio non absorbeat? aut quem potius ipsa totum
non absorbeat, & Christo uniat, ut totus sit in ipso.
Et in hunc qui adeo nos diligit collata est omnis caeli & terrae
potestas. qui in nostrum bonum dispensat, venit ad nos princeps
mundi huius, & non habet in me quicquam? quid iam
dicturus regnans ad dextram Patris expolians principatibus
& potestatibus atque triumphans de eis ipso acto? pacto sacrificio
aeterno & aditu in sancta sanctorum patefacto? Fidamus
igitur illi qui est fidelis, illi credi quod res nostra
caro est conspectu? & quod corpus suum quod nos per
corpore illo suo quod nostri causa assumpsit, in mortem tra
didit, et tribuit etiam nostri causa multo habet charius.
Et in patientia possideamus animas nostras: parati ad
glorificandum & sanctificandum ipsius nomen in vita & in
morte, Philip. 1. Haec ad vos Gen. Dni eo libentius
partim quod nolui solis Clarissimi illius dicti esse participes:
partim etiam ideo quod interius de rebus afflictis Gen.
Comitis Johannis & Ecclesiae Belgicae animos vestros procul
cul dubio vulnerabunt. Volui igitur hoc dilectionis Christi
oleum infunderes, quod oro ut eidem Dns omnibus afflictis
suis membris copiose infundat. Postremo etiam ideo quia
hic dies non tantum natalis meus est, sed etiam idem
ille dies, Laurentij quo prima concione per dei gratiam tremens
habui: ex quo tempore tam multiplicia effecta dile
ctionis Christi erga me misericordiae expertus sum, ut
si Turca vel Judaeus fuisset visa vel centesima parte effectorum
Christi (quod in ipsius gloriam dico) non potuissent non antequam
omnes homines dare sua rebellionem tempore, si in Christi
gloriam et publicam infantiae tempore Domini Baptista a se
desyderio suscepit. Elapsi autem sunt anni viginti: incipit hodie vicesimus
primus.

Gratiam & pacem per Jesum Christum
Dominum nostrum, amen.

Vide mi Generose Domine, quam verum sit illud Domini Bogini
piae memoriae dictum, In piorum colloquijs sanctum quoddam
inesse contagium. Audivi enim paulo ante aestatem
superiorem ex amico quodam (haud scio an fuerit Wickra-
dius noster, an vero Stephanus) Generosum Dominum vestram
mei mentione interrogasse, quid agerem, an non in Jobo
edisserendo laborarem. Quod cum ille ita simpliciter nar-
raret, subridebam certe ubi Sacra subijsset Domino
statim promittere: Videbatur enim mihi hic quoque
partus satis difficilis: quo magis mirabar in
simplicem Tulisium interrogationem. Sed quid fit?
ego ex illa vestra interrogatione in sinore contagio,
quo deinde infecti et nunc sunt alij quibus vicinum
pariendi dat Dominus: quem partum spero eiusmodi
fore ut multos calamitatibus pressos et tristes Dei
filios et filias in vero Isaaci filio, Emanuele,
sic exhilaraturus, ipsorum maerorem in spiritualem
risum conversurus: ita feliciter, ita prospere, ita
dextre omnia. Putabam ego meas, si non Versi saltem obste-
tricis partes fore: et si non in lambendo aliquo effoe-
tu do saltem in ornando nonnihil facturum hoc optassem
me: sed profecto (fere dixerim) vix limam: nativa
simplicitas vix ornatum admittit: ut dictum illud
emendare volle videatur, sustinet discipulo (de
lingua gallica loquor) sic se sinet ipsius Magistri
in plerisque rerum superat. Equidem haud scio

an simplex illa orationis germanicae vitae, respondeat
sit robori & ornatui Gallicae nativo: sed quo ego abeo?
Si factum esset meum, precarer forti affectu: sed cum alienum
sit et quidem originem trahens e collatione (quod aliis
rebus solet adferre interitum) minus est premendum, si aliquid
hic ~~[illegible]~~ prodierit mirabile, in illius gloriam
qui filiorum suorum colloquiis sua solet benedicere & desideriis
satisfacere: imo supra id dare quod petere
possimus. Fateor tamen me hic liberiorem fuisse
ut Dominum meum indulsi a negotiis reverendis
quibus saepe tristissimis hisce Galliae temporibus exerce-
tur, in nostros doctos scholasticos et typogra-
phicos traducerem, et certam spem facerem eximium
fructus, et primis solidae consolationis et levationis
apud multos Dei filios: quae spes cum me
torqueret, indulsi calamo ut liberius tantum
[illegible] concepta latina [illegible] et simul
fructum cum de colloquij ostenderem. Et hic
quidem hactenus, ubi finis factorum sunt si
Generositati tuae pauca verba significavero me
cum Gen: filiis meis, atque adeo ipso Dno Wilhelmo
nobis carissimo, ornatum medius tertius rogavisse
iam [illegible] [illegible] solam in Lobo remissa
esse: Praeterea tamen filium meum Paulum Stephanum
commendatum, ut re seriulo vestro melius intelligeret.
intelligere velit. Vale Generose Dne: Dnus
& servator noster Christus V. Gen. [illegible] benedi-
cere et tota illustri familia. Dat. [illegible]
die 28 Decbr. A° 1586.

Illustr. Gen. V. addictiss.
G. Olevianus.



Illustri et Generoso Domino
Domino Ludovico à Seyn
Comiti ad Witgenstein / Dño
Homburgi et Dño meo clementi.

Berlsburgi.

29. Xbr. B.

17.

